



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Quo pacto Deus sit causa obdurationis. c. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

*Propter peccatum ad-
mi non propter propria
negatur prima gratia
reprobis.*

liberantur, misericordia pura liberari: qui vero reliquuntur in ea massa, negata ipsis gratia illa congrua, peculiari, & propria prædestinatorum, qua liberarentur, iusto iudicio non liberari, ob peccatum illud commune. Quis enim dicat, ob propria peccata alicuius primam gratiam peculiarem eis fuisse denegatam; quandoquidem permissio peccati, quæ prior est ipso peccato, est huius gratiæ negatio.

Ad tertium testimonium Augustini respondeamus, ipsum loqui de gratia adiuuante, & comitante: & de ea recte dixisse, in nobis esse causam, ne adiuet, & comitetur nos; quia sufficienti auxilio, quo omnes præuenimur, respondere possumus: at vero de gratia prima excitanti peculiari, & propria prædestinatorum non ait, culpa nostra nobis denegari, in cuius sane denegatione consistit non prædestinari.

*Ad tertium
ex Aug. re-
sponso.*

Ad testimonium primum Prosperi respondeo, recte dixisse, eos, qui exsortes sunt gratiæ Dei, nempe peculiari, & congruæ, de sua nequitia redargui, & ob illam puniri: quia gratiæ sufficienti non respondent. ob id tamen non sequitur, ob ipsorum nequitiam non fuisse prædestinatos, hoc est, eis fuisse negatam gratiam congruam.

*Ad primum
Prosper.*

Ad secundum testimonium eiusdem dico cum inquit Prosperi, neminem à Deo relinqui, nisi prius ab eo ipse Deus deferatur, non loqui de prima permissione, & negatione gratiæ primæ: sed ultèrioris: quia prima præcedit omne peccatum; & ita non sequitur propter iniquitatem propriam aliquem non fuisse prædestinatum. Vtrum autem loquatur de negatione auxilij sufficientis, an efficaci, dicemus disp. 97. cap. 6.

Ad tertium.

Ad tertium testimonium eiusdem respondeo, aut nomine non prædestinationis intellexisse reprobationem à gloria: vt explicauimus supra in hac disputatione capite 6. huius autem sicut ex nobis datur causa, vt ibidem explicauimus, ita etiam ea est in nostra potestate, aut certe particula, *quia*, & ideo, quæ causam denotant, non significant apud Prosperi causam rei, sed cognitionis. Nam in illa responsione ad septimam obiectionem Gallorum, ita ait: *Quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præcisiuit*, & ob hoc à filijs perditionis nulla prædestinatione discreuit. Nam quomodo eos haberet præordinata in Christo electio, cum dubium non sit, donum Dei esse perseverantiam in bono usque ad finem, quam istos ex eo ipso, quod non perseverauerunt, non habuisse, manifestum est. Non dixit eo quod non perseverauerunt, non habuisse donum perseverantiæ, quia potius ex eo quod non habuerunt varias gratias præuenientes efficaces, non perseverauerunt, vt manifestum est: sed certo colligit, non habuisse hoc donum, ex eo, quod non perseverauerunt: eodem modo reliqua intelligenda sunt.

62

*Prior ratio
soluitur.*

Ex rationibus vero prior quidem frivola est. Nam quamvis Deus ex se ipso voluerit, aliquos non prædestinare, hoc est, gratiam efficacem illis non præparare; non sequitur eos necessario damnari: siquidem eos non deseruit omnino, sed sufficienti auxilio præuenit, quo saluari possent, vt disputatione 67. dicemus. Sed vrgent aduersarij hoc modo, sine prædestinatione nullus saluari potest: ergo si Deus ex se non prædestinat aliquem, ipsi salutis adimittunt potestatem. Verum hoc simile argumentum in ipsos retorqueri potest hoc modo. Vt impossibile est sine prædestinatione aliquem saluari, ita cum prædestinatione non potest aliquis

Retorquatur.

damnari: ergo si Deus ex se ipso absque vlla ex nobis occasione, aut absque eo, quod sit in nostra potestate, aliquem prædestinat: consequitur, cum non posse damnari; quod sane ita absurdum est, sicut aliquem non posse saluari. Vtriusque autem eadem est solutio facilis, & perculgata, de qua supra dictum sumus disp. 101. cap. 3. nempe necessitatem hanc, quæ dicimus, prædestinatum non posse damnari, aut non prædestinatum non posse saluari, esse necessitatem consequentem, quæ sequitur solum scientiam Dei, nec vlllo modo nocet libertati nostræ, vt ibidem explicabimus; ac proinde ea non obstante, dicimus quemlibet posse saluari, aut damnari.

Posterior vero ratio, ex doctrina disp. 92. facillime dissolui potest. Nam sicutibi concessimus in nostra potestate esse, vt vocatio nobis collata efficiat sit, seu effectum in nobis habeat, sine quo non esset effectus prædestinationis; nihilominus non est in nostra potestate primus effectus prædestinationis, quia primus effectus non est effectus vocacionis, sed donatio illius vocacionis, quam Deus nouit scientia conditionali in nobis effectum habituram: eodem modo licet in nostra potestate sit, vt vocatio, quæ præuenimur, non habeat in nobis effectum, tamen in nostra potestate non est primitio illius vocacionis, quam Deus nouit scientia conditionali in nobis effectum non habituram: ab hac autem priuatione incipit non esse prædestinatum.

Denique non miror, si Bonaventura, Alexander & Henricus fateantur, esse in nostra potestate non prædestinari, quando ipsi iuxta varios modos dicendi, quos retulimus disp. 91. affirmant, ex nobis esse causam, aut conditionem, vt sumus prædestinati. Miror tamen hos recentiores, quos supra memorauimus, qui cum fateantur nullam esse in nobis causam, occasionem, vel conditionem prædestinationis, neque vlllo modo prædestinationem in nostra potestate esse, affirmant nihilominus, in nostra potestate esse, & ab ea pendere, non esse prædestinatos: cum tamen vtriusque eadem sit ratio, vt supra dixi, & ita solutæ maneant rationes primæ sententiæ.

Sed obijciat aliquis, cum reprobatio sit pars prouidentie, & hæc versetur circa media potius, quam circa finem, cur reprobationi effectum solum assignamus circa finem? Respondeo respectu Dei nihil creatum habere rationem finis, vt disp. 81. c. 2. diximus: sed omnia, vt media comparati, nihilominus reprobationem non solum versant circa expulsionem à gloria post præuiam perseverantiam in peccato; sed etiam illam ulterius ad hanc ordinari à Deo, vt ostendat potentiam, & iustitiam suam, quæ de iniustis, & prauis hominibus vindictam sumit.

CAPVT X.

Quo pacto Deus sit causa oblationis.

Non solum reprobis subtrahit Deus gratiam suam semel, aut iterum: sed etiam per varias occasiones, & per varia temporis spacia, quo si vt cor illorum obduretur in peccato: cumque hæc obduratio in Scriptura sæpius Deo tribuatur, vt ostendendum est, quid sit, & quomodo Deus causa illius dicatur esse. Obduratio igitur, quæ exsecratio quædam

que, aggrauatio, & reprobis sensus in Scriptura vocatur, bifaciam ab Scholasticis capi solet. Primum pro ipso peccato, quo resistitur cuius vocationi Dei, aut pro eo peccato, quo Deo diu, multumque vocanti repugnamus, deinde pro permissione, & subtractione gratiæ, aut qua aliquis labi permittitur in primum peccatū, aut qua per multum tempus in eodem peccato finitur perseverare. Ita diuidunt obdurationem Scholastici paulo inferius allegandi. De obduratione priori modo heretici nostri temporis ausi sunt affirmare, ita esse Deum propriam, & per se causam illius, sicut est gratiæ, & bonorum operum. Damnatur autem hic error in Concilio. sess. 6. can. 6. & in Concilio Aransic. secundo can. 25. & in Valentin. sub Lothario Imperatore cap. 3. Fuit vero articulus 5. & 11. falso impositus Augustino à Vincent. & ab alijs per Galliam, vt constat ex lib. eiusdem Augustini ad articulos sibi falso impositos, à quo ipse se excusare loco. Augustinum etiam defendit contra calumniatores Propter in libro ad capitula Gallorum c. 6. & in lib. ad obiectiones Vincent. ad 5. & 11. obiectionem, qui liber creditur esse idem, cum illo, Ad articulos falso impositos eiusque auctor non Augustinus, sed Prosper Aquitanicus existimatur, & Fulgentius allegatus supra disp. 91. ca. 18. quomodo autem Deus non sit causa peccati, ex professo dicendum est. 1. 2. q. 79. art. 1.

Obdurationis autem posteriori modo Deum esse causam, fatetur Alex. 1. par. q. 29. memb. 4. & 5. S. Thom. 1. 2. quæst. 79. a. 3. Bonau. in primum d. 40. art. 3. quæst. 1. & 2. Sor. lib. 1. de natura & gratia c. 18. & in 4. d. 15. q. 1. a. 1. Canus 2. de locis cap. 4. & 7. Rossensis. art. 36. contra Lutherum, Driedo de concord. lib. arbitrij cap. 1. & c. vltimo ad 4. atque in hunc sensum concedunt, corda reproborum à Deo indurari. Ceterum quamuis obduratio, & reprobis sensus, quæ ad voluntatem videntur pertinere, non sumantur pro permissione, sed pro peccato voluntatis, varijs nihilominus modis explicant Doctores, quare dicatur Deus indurare, vel tradere in reprobum sensum.

Primum est Orig. sermo Periar. cap. 1. ante medium. Augustini Epist. 105. & lib. de prædest. & gratia cap. 4. & lib. de essentia Dei, qui adscribitur Hugoni de S. Victore. Hieronym. in illud ad Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, Chrysost. Theophyl. & Anselm. in eundem locum, & in illud ad Rom. 9. quem vult indurare. Qui putant ex eo solum Deo tribui indurationem, & reprobum sensum, quia est causa permissionis, subtrahens, & denegans auxilium gratiæ suæ, ex quo tanquam ex causa per accidens induratio voluntatis, & reprobis sensus procedit, sicut dominus dicere consuevit, inquit Orig. sermo suo, Ego te perdidit, quod impune aliqua mala permiserim.

Sed Canus loco citato censet addendum quoque aliquid esse permissionis, ratione cuius Deus dicitur indurare, & tradere in reprobum sensum. Tribus ergo modis, inquit, Deum esse causam indurationis, & reprobi sensus. Primo, quia Deus aufert gratiæ suauitatem: & hic modus idem est cum superiori. Secundo, quia Deus vitit ministro sua Satana, tanquam instrumento, & ita dicitur efficere, quod suus minister auctoritate sua roboratus facit. Sed hic modus, vt sit verus, intelligendus etiam est per solam permissionem, nec n. alio modo Deus Satanam instruit, quam sinendo illum: quare & hic modus eodem recidit. Tercio addit Canus, sicut

idem Sol indurat lutum, & liquat ceram, ob diuersam materiæ dispositionem; sic etiam idem lumen gratiæ dicitur quosdam illuminare, & emolire, alios vero excicare, & indurare, ob diuersam eorum dispositionem. Hic tertius motus aliquid videtur addere permissioni, sed eum Canus non satis explicat. Melius eum exponit Driedo c. illo vltimo, de captiuitate, & redemptione generis humani tract. 5. c. 4. vt scilicet ideo Deus dicatur indurare, non solum quia permittit, sed quia exterius, vel etiam interius quosdam offert occasiones, quibus certo scit hominem ad malum prouocandum, etiam si illæ ad gratiam Dei pertineant: qualia sunt signa, & flagella, imo ipsa prædicatio veritatis. Neque vero eo animo, vt ille cadat, Deus illas offert, Deus n. intentator malorum est, Iacobi primo; imo vero ea solum intentione, vt ad poenitentiam ipsum adducat. Quia igitur ex opere Dei homo sumit occasionem peccandi, & magis repugnandi, ideo dicitur Deus illum obdurare, quia fuit occasio obdurationis. Has autem occasiones non dicitur permittere Deus, sed velle (non tamen intentione peccati, & obdurationis) quia omne illud, quod non est peccatum, Deo volente in mundo fit. Et quamuis non sit semper hominibus liberum, similes occasiones fratribus suis sine propria culpa offerre, etiam si alias bonæ sint iuxta regulas, quas S. Thom. eleganter assignat 2. 2. q. 43. a. 7. & 8. Deo tamen, qui supremus est Princeps, & Gubernator omnium, quique nulli facit iniuriam, nec vlli legi aduersatur, quod res sinat libere operari, si miles occasiones, & cogitationes semper licet immittere.

Atque hinc colligitur magna differentia inter Deum, & nos cum similiter occasio sumus peccati alterius, & ideo illud nobis imputatur: nam Deo nunquam tribuitur nostrum peccatum, nec ei est voluntarium, nec imputatur vt causæ morali; eo quod non debebat occasionem illam non præbere nobis autem imputatur, & dicitur voluntarij, quia debebamus non offerre occasionem: vt enim euentus huiusmodi sequuntur voluntate Ioannis, Petro esset voluntarius, oportebat, Petrum debere illum euitare, & impedire, vt dicemus 1. 2. q. 6. a. 2. Hic modus obdurandi sumptus est ex Hieron. in Epist. ad Hottibiam, quæ est 105. q. 10. Orig. & Theoph. loc. cit. & ex imperfecto in Matth. apud Chrysost. hom. 46. col. 2. & quamuis admixtam habeat permissionem, & negationem gratiæ illius vocationis, quæ cor ipsum emolliret: habet tamen aliquid positium, quod reprobo sit occasio obdurationis, & peccati.

Ex hac doctrina interpretari possumus in bonum sensum Augustin. lib. 1. contra Iulianum. c. 3. ante medium, & de gratia, & lib. arbit. cap. 21. cum asserit, Deum non solum tradere in reprobum sensum deferendo, sed etiam inclinando voluntatem, iuxta illud: Cor regis in manu Domini, quocumque volueris inclinabit illud, Prover. 21. siquidem ex multis locis ipsius constat, Deum nulla ratione prædestinasse peccatum, nec illius causam esse posse, vt superius notauimus: atque eodem modo in q. in Exod. q. 18. explicat ipse Pharaonem à Deo fuisse obduratum, quia coram ipso Deus fecit signa, quibus nouit sua malitia peiorem in dies futurum. Hactenus loquuti sumus de obduratione, & reprobo sensu, quæ quidem ad voluntatem videntur referri, & pro ipso peccato & repugnantia voluntatis usurpari. At excæcatio ad intellectum potius pertinet: idem

Driedo. Deus autem offert occasiones, quibus scit hominem ad malum prouocandum, etiam si illæ ad gratiam Dei pertineant: qualia sunt signa, & flagella, imo ipsa prædicatio veritatis. Neque vero eo animo, vt ille cadat, Deus illas offert, Deus n. intentator malorum est, Iacobi primo; imo vero ea solum intentione, vt ad poenitentiam ipsum adducat.

Cur hoc dicatur Deo, hominibus non tamen.

Hieron. Orig. Theophyl.

Augustin. interpretatio. Prou. 21.

70
Excatio, &
aggravatio
quid sint,

Deum quæ
ratione sit
causa illorū.

Cur pecca-
tum deat
esse ex igno-
rantia.
Augustin.

71

28.
Apocal. 2.

Bisariam co-
tingit obdu-
ratio.

enim est atque non videre, quæ agenda sunt, ta-
meti nonnunquam voluntatem reuocetur, fumen-
do effectum pro causa. Imo etiam aggravatio, quæ
idem est quod obturatio, ad intellectum spectare
videtur. Sicut enim excatio, quia visui opponi-
tur, primo conuenit intellectui, cui etiam tribuitur
visio: sic etiam cum aggravatio opponatur auditui,
est enim in Scriptura aggravatio aurium, Isaia 6.
& Zacharia 7.) & hic ad intellectum pertineat, ipsa
etiam aggravatio, intellectus potius esse videtur.
Vtraque autem reperitur in eo, qui peccat; quia
neque ita videt, neque ita audit, quæ agenda sunt,
ut ea prosequatur: sed perinde se habet ac si non vi-
deret, nec audiret, patiturque defectum aliquem in
intellectu, ut disp. 98. c. 7. & 1. 2. q. 77. a. 2. fusius tra-
ctabimus. Huius obsecrationis, & aggravationis
ex parte intellectus, Deus est causa, denegando vo-
cationem illam peculiarem, quam sciebat ita con-
gruere arbitrio, ut ipsum efficaciter inclinaret:
eamque vocationem petit Ecclesia hebdomada
prima Quadragesimæ feria 4. ad vespertum, cum
ait: *Mentes nostras, quæ sumus domine, lumine tuæ clarita-
tis illustra, ut videre possimus, quæ agenda sunt, & quæ recta
sunt, agere, valeamus.* Et Dominica infra octauam E-
piphaniæ: *Vota, quæ sumus Domine, supplicantis populi
caelesti pietate prosequere, ut quæ agenda sunt, videant, &
ad implenda quæ viderint, conualescant.* Atque hoc mo-
do intelligendus est Aug. lib. 2. de peccat. merit. & ve-
nis. c. 19. cum docet peccatum accidere ex ignora-
tione, hoc est, ex defectu considerationis, quæ de
causa vocationem quæ mouet ad operandum, &
inclinat affectum, appellat ibi certam scientiam.
Lib. autem de prædest. sanctior. c. 8. de ijs, qui prædicato-
re extrinsecus sonante, non credunt, inquit, non
credere, quia intus à Patre non audiunt. Deus e-
nim dicitur aperire autem intellectus, immittens
eam cogitationem, quæ intellectum ad fidem in-
clinat. Idcirco dominus Luc. 8. & Ioan. Apoc. 2. di-
cunt; *Qui habet aures audiendi, audiat;* hoc est,
aures non obturatas, sed idoneas, ut audiat. De-
nique huius obsecrationis, & aggravationis, qua-
tenus est solum in intellectu, Deus ita est causa per
varias cogitationes, quas immittit, ut illam velit, &
disponat: quicquid enim præcedit peccatum, ut su-
perius dixi, non tantum Deo permittente, sed etiam
volente, & ordinante sit, absque initione tamen
peccati. Nec propterea ille vim patitur, cuius intel-
lectus exaccantur: ei namque semper offerretur ea
cogitatio, cum qua resistere posset, si vellet, ut dis-
p. 98. c. 7. & 8. dicemus. Neque aliquis queri potest
de Deo, quod alia sibi cogitatio denegetur, ut dis-
p. 91. c. 18. notatum est.

Postremo obserua, obdurationem voluntatis
bisariam contingere, primum in quouis peccato,
cum Deo vocanti resistimus: deinde post multa
peccata, cum Deo diu, multumque vocanti obniti-
mur. De priori loquitur August. lib. 1. ad Simplicia. q.
2. quo pacto idem est, aliquid à Deo obdurari, at-
que Deum illius non misereri, ut ibidem ipse expli-
cat. Huius autem permissionis, & non misericor-
diæ, quæ præcedit primum peccatum, non datur
causa ex parte nostra, ut ex superioribus, liquet. De
posteriori vero loquitur idem Aug. lib. 3. quæst.
q. 68. eamque ex occultissimis meritis provenire
docet.

An omnibus paruulis prouideri Deus
remedia sufficientia ad salutem.

Huiusmodi remedia omnibus paruulis fuisse prouisa, non
nulli opinantur. cap. 1.

Communis, & verior sententia c. 2.

Diluuntur rationes prioris opinionis. c. 3.

CAPVT I.

Huiusmodi remedia omnibus paruulis fuisse prouisa
nonnulli opinantur.

QVædam sunt in hæc, quæ apud bene sentien-
tes omnino indubitata sunt, neque in contro-
uerfiam debent reuocari: primum est, ad hoc ut
paruuli in lege Evangelica saluentur, non sufficit
ipsis applicari fidem parentum sine baptismo, so-
lo signo crucis, aut inuocatione sola Trinitatis, sed
aut alio modo: cuius oppositum contra omnes
Doctores docuerat Caiet. 3. p. q. 68. ar. 2. & 11. in con-
trau. tamen Romæ impressione iussu Pij V. Pont.
Max. prædicti commentarij expuncti sunt. Quare
certum est, degentes in vtero materno, & editos
in lucem, qui sine baptismo moriuntur, damnari:
cuius vices martirium ex peculiari privilegio in
paruulis supplere potest, ut multi affirmant. Nec
vero placet, quod ait Gabriel in d. 4. q. 2. d. 2. G. 1.
Deum potentia sua, quæ non est aligata Sacra-
mentis, aliquos paruulos sine baptismo fortasse
saluare: nam licet Deus id facere possit, cum tamen
in Scriptura sua statuerit vnicum remedium pa-
uulis in baptismo: non est asserendum, nunc ali-
quos sine illo salutem consequi.

Deinde certum est, meritum Christi, remedia
que omnia, quæ tam pro paruulis, quam pro adul-
tis instituit, ex se sufficientia esse ad salutem, atque
eam operari, si re ipsa applicentur. Controuersia
igitur non est, an Christus instituerit media ex se
sufficientia omnibus paruulis, sed an illa ita pro-
uiderit, & disposuerit, ut in libera facultate alicui
ius applicationem illorum reliquerit. Nam si hæc
media, quæ ex se sufficiunt, ita manent disposita, ut
nulla humana diligentia alicui paruulo possint ap-
plicari, non dicemus illi fuisse prouisum medium
sufficiens: quia ei solum dicitur sufficiens remedium
prouideri, cui applicari, & prodesse potest. Propo-
sita igitur difficultas est, an ita Deus prouiderit pa-
uulis hæc media, ut aliqua humana diligentia eis
possint applicari.

Hæc sane res extra controuersiam esset nisi qui-
busdam recentioribus visum fuisset, Deum omni-
bus paruulis media sufficientia hoc modo prouide-
disse, etiam si per accidens fuerint impedita: id
quod de paruulis etiam, qui in vtero materno mori-
untur, asseruerant. Probant autem primum quia
licet, multis paruulis non fuerint applicata huius-
modi remedia; inde tamen solum sequitur, non fuisse
illis illis prouisa remedia efficacia, non autem ef-
ficaciter fuisse negata sufficientia, nam & multis adul-
tis remedia, quæ Christus reliquit, non fuerunt
applicata, ob id tamen nullus audeat affirmare con-
trarium: nullo modo minus sufficientia sufficientia
paruulis non fuisse prouisa media sufficientia,
tamen efficacia concessa non fuerint. Deinde
Christus pro omnibus paruulis, & adultis motus
est, quandoquidem voluit, sicut & eius ex se pro
so & voluntate primaria, etiam post lapsum Adam
omnes homines saluos facere: ergo omnibus me-